

V. Coloniae Graeca (del 1)

Hora prima ancillae semper gallinis, asinis et equis pabulum et aquam dant.

Hodie, dum in stabulo laborant, Hilda Sophiam interrogat: "Cur Campania tot et tam pulchra templa habet? Terra mea sine templis est, sed lucos habemus, ubi deos et deas colimus."

Sophia Hildae causam narrat: "Saeculis remotis Campania quoque tempula nulla habebat, sed Osci, incolae primi, deos in locis apertis colebant. Osci indocti erant et in casis habitabant.

Saeculo octavo ante memoriam nostram Graeci multi e Graecia emigrabant. Propter penuriam frumenti in terras alienas immigrabant. Campania fluviis et humo fecunda Graecos multos attrahebat.

Graeci saeculo sexto et quinto ante memoriam nostram tempula in Campania et Lucania aedificabant. Sic Graeci indigenas Campaniae architecturam docebant. Columnae aut Doricae aut Ionicae sunt. Columna Dorica ponderosa est, columna Ionica elegantiam exhibet."